



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. II. Vtrum requiratur determinata quantitas panis & vini ad materiam
huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS II.

Vtrum requiratur determinata quantitas
panis & vini ad materiam huius
Sacramenti?

RELECTA opinione quorundam asserentium quod sacerdos non possit consecrare immensam quantitatem panis & vini, quam sententiam postmodum tenuit Paludanus dist. 11. quæst. 1. art. 3. conclus. 1.

Respondet, quantitatem materiæ huius Sacramenti non esse determinatam, quod etiam tenet Durand. dist. citata quæst. 6. Gabr. eadem dist. q. 2. art. 3. dub. 1. & communiter alij. Probat ex eo quod numerus fidelium, ad quorum usum hoc Sacramentum ordinatur, sit indefinitus; ergo non deest quantitatem materiæ illam determinari, ut maior non posset consecrari. videtur autem D. Th. intelligi tam de quantitate continuâ, quam discretâ, seu de multitudine hostiarum, quæ proponuntur consecrandæ.

Confir. resolutio ex eo quod in Ecclesia nunquam fuerit reuocata in dubium consecratio quantumlibet multarum hostiarum simul facta.

Dices non posse dubitari de validitate consecrationis quoad aliquas hostias.

Resp. id non sufficere, ut argumentum enervetur: cum enim sacerdos in sacro habens magnam hostiarum multitudinem consecrandam non solat restringere intentionem ad certum numerum, sed feratur in totam materiam presentem, si quid ex illa multitudine non consecratur, nihil consecratur, cum non possit dici potius unam partem consecrari, quam aliam.

Dices partem consecrandam eo casu determinandam à Deo qui nouerit quanta pars, vel quot hostiæ possint consecrari.

Resp. id nullo solido fundamento dici posse. Confir. quia minister, qui non potest vllō modo eum numerum cognoscere, non posset illum designare per particulam, hoc. 2. Vt hoc diceretur, non posset humano & morali modo cognosci quanam hostiæ essent consecratæ, & per consequens non posset sine maximo sacrilegio præberi communio ex talibus hostijs, quæ statim apparent absurda, & proinde hoc Sacramentum non videtur ita institutum, ut certa quantitas materiæ per se requiratur. Adde quod neque ex traditione Ecclesiæ neque ex ratione possumus assequi, quanam sit illa quantitas, cum tamen deberet posse cognosci à ministris, si talis esset à Deo determinata ad validitatem consecrationis, ne frequenter se exponerent aperto periculo inualide consecrandi & per consequens periculo grauissimi sacrilegij.

Dices posse determinari ex numero fidelium qui in vnoquoque loco vlturi sunt hoc cibo.

Resp. id dici non posse. 1. quod pauci in aliquo iuueniantur nimis per accidens se habet, ut valor consecrationis quoad multitudinem hostiarum inde pendeat. 2. Hostiæ non tantum consecrantur pro presentibus, sed etiam pro futuris possunt asseruari. 3. Non solum pro incolis, sed etiam pro aduenis possunt consecrari. 4. Incertum est, qui & quam frequenter velint incolæ communicare, igitur valor consecrationis non debet pendere ex illis fortuitis, & incertis conditionibus, sed, si nihil aliud obstat, quantumuis multæ hostiæ possunt

consecrari, quia consecratio ad hoc tendit, ut corpus & sanguis Christi ponantur sub speciebus panis, & vini, quod fieri potest quamuis in aliquo loco forte non sit opus tot hostijs pro presentibus.

Vnde dicendum per se loquendo quantumuis magnam quantitatem panis & vini posse valide consecrari, dummodo illa non tollat rationem sensibilitatis (de quo infra) quia ad valorem consecrationis ex parte materiæ solum requiritur, ut sit substantia panis vel vini, & sit humano modo sensibilis, cui rationi non obstat, per se loquendo, quantitas materiæ.

DVBIUM I.

Vtrum quantumuis parua materia possit consecrari?

NOTANDVM paruum materiam duobus modis spectari posse. 1. in continuo alijs coniunctam, seu cum alijs coeuntem ad vnum totum confluendum. 2. separatam ab alijs partibus, & constituentem quoddam totum.

Dico 1. pars materiæ alijs coniuncta quantumuis parua verè consecratur, dum consecratur totum. patet ex Trid. sess. 13. cap. 4. docente, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius. quod ipsum definitur can. 2. ubi additur remanere duntaxat species panis & vini.

Itaque hæc conclusio videtur omnino de fide, quia, ut dicantur solæ species panis & vini remanere post consecrationem, & ita perire totam substantiam panis, seu totam substantiam panis conuertere in corpus Christi, necesse est ut singulæ partes hostiæ consecrandæ consecrentur, non quidem distincta consecratione, sed vnâ, & eadem; illa scilicet, quæ totum ipsum consecratur.

Probatur 1. si aliqua pars non consecratur, verum erit dicere: non tota substantia panis conueritur in corpus Christi: item verum erit dicere, in hac hostia remanere aliquid panis præter eius species, quod est contra fidem.

Probatur 2. tota hostia proponitur adoranda; igitur tota est consecrata & singulæ eius partes.

Probatur 3. sub quavis particulâ hostiæ consecrate separatione factâ totus Christus continetur, ut definitur can. 3. eiusdem sess. ergo sub eadem continetur ante separationem, cum separatio non sit consecratio, nec sit actio per se sacra, utpote quæ etiam à laico fieri possit, & proinde per eam non possit constitui Christi corpus sub specie panis, quod sub eadem antea non fuit.

Dices ex hoc argumento ostendi quidem quod Christi corpus sit sub illis partibus quæ seorsim sumptæ sensu percipi possunt, non tamen confici quod sit sub quantumlibet paruis, quæ non possunt seorsim aliquo sensu percipi.

Resp. 1. quidquid sit de eâ quæstione, num Christi corpus remaneret sub specie panis separata, quæ in illo statu non posset percipi, in nostro casu bene concludi intentum etiam ex illo can. 3. nam particulæ, quæ seorsim sumptæ non possunt vllō sensu percipi, alijs coniunctæ & existentes in toto, sensu percipi possunt, dum totum percipitur, atque adeo sunt sensibiles, cum sub illis lateat panis substantia, nihil obstat quo minus sint aptæ materiam consecrationis.

Quantumuis magna quantitas panis est consecrabilis, dummodo maneat ratio sensibilitatis.

Conclus. 1. de fide.

Quantumuis parua pars alijs coniuncta consecratur cum toto. Tridens.

Obiectio.

Resp.

Resp. 1.

Resp. 2. naturaliter fieri non posse, ut remaneat panis substantia sub parte separata insensibili, & per consequens quantumcumque parua particula separatim ponatur, si dicatur substantiam panis posse sub ea remanere, sub eadem Christi corpus remanere poterit. Antecedens probatur, quælibet formâ naturalis secundum naturalem suam existentiam, eam requirit quantitatem in materia, per quam reddatur sensibilis, cum hæc conditio non minus sit naturaliter debita, quam alia; quæ secundum naturam debentur. Dixi *insensibilis*, non autem inuisibili, quia ut forma panis possit naturaliter conservari in aliqua materia, non est necesse eam materiam habere quantitatem, per quam videri possit, sed sufficit ut possit aliquo sensu percipi, gustus, tactus &c.

Vt forma panis conservari possit naturaliter, non necessarium est, ut materia debet habere quantitatem visu perceptibilem.

Resp. 3. verius videri quod si species consecrata ita separaretur, ut separata remaneret insensibilis, sub eadem Christi corpus remaneret. quamvis enim materia sub cuius specie corpus Christi per consecrationem est ponendum, debeat esse sensibilis, ut tamen permaneat, id non videtur exigi, seu non videtur requiri ut species remaneant sensibiles.

Confir. non videtur negandum quin Deus possit species vini consecrati in similia minima insensibilia dividere: ponamus ergo ita dividere ut nihil remaneat sensibilis, & rursum coniungere, ita ut illa particula per coniunctionem coeant ad unum continuu cõflandum: vel sub illis est sanguis Christi, vel non est. Secundum non videtur asserendum, cum enim species vini remaneat ex supposito, non potest dici desinere Christi sanguis sub ea latere, eo quod species sit corrupta, neque ex alio principio potest dici quod illa species ita sit absque omni substantia, ut nulla etiam substantia sub illa lateat, cum talis modus se habendi specierum sit omnino ignotus; neque videtur dicendum quod sub tali specie esset substantia vini; nam si ita esset, species tractari posset tanquam aliquid profanum, quod non videtur asserendum; saltem non potest sine magno sacrilegij periculo ita tractari. Si dicatur prius imargumento positum, scilicet sub speciebus vini post divisionem rursum unitis latere Christi sanguinem, dicendum sub iisdem diuisis latuisse, cum essent insensibiles, quia coniunctio non est consecratio, igitur per illam non potest poni sanguis Christi sub specie, sub qua antea non erat.

Replicæ solvuntur.

Dices quamvis ipsa coniunctio non sit consecratio, & per consequens non possit esse ratio cur Christi sanguis ponatur sub speciebus, sub quibus antea non fuit, bene tamen potest esse conditio necessaria ut sanguis, qui per consecrationem fuit positus sub specie vini, maneat sub eadem, seu incipiat secundo sub ea existere, ita ut licet sanguis desinat esse sub singulis speciebus diuisis propter earum insensibilitatem, incipiat sub illis constantibus unum sensibile rursum existere.

Resp. hæc videri dici minus solide, quia cum sanguis Christi iuxta hanc replicam deberet esse sub specie vini, deberet secundo sub illa constitui per novam actionem, qualiscumque ea sit, de quo in presenti non refert; atque ita consecratio, quæ præterijt & quæ semel habuit suum terminum, deberet 2. habere, quod non videtur vlla ratione asserendum; una enim consecratio semel tantum habet suum terminum, & unam habet operationem vel physicam, vel moralem.

Vna consecratio semel tantum habet suum terminum.

Dices sanguis Christi, vel etiam corpus, præter existentiam in statu naturali solum existunt in Sa-

cramento Eucharistia, quando autem particulae speciei sunt insensibiles, non potest dici esse Sacramentum Eucharistia, cum ex supposito nihil sit sensibile, ergo non potest dici corpus, vel sanguis Christi sub illis existere.

Resp. ad minorem; quamvis quando species sunt insensibiles non possit dici Sacramentum esse, prout dicit signum sensibile per comparisonem ad statum quo sit denominatio, dici tamen posse esse Sacramentum Eucharistia, quia sanguis Christi latet sub specie, quæ erat sensibilis, cum consecraretur, immo quantum ex se est esset sensibilis, si coniungeretur cum alijs particulis à quibus est separata, & proinde id videtur sufficere, ut sanguis Christi dicatur sub tali particula remanere.

Dico 2. quælibet particula ab alijs separata, quantumvis parva, potest valide consecrari, si sit sensibilis. Probatur, quia tali materia nihil potest deesse, cum ex suppositione sit sensibilis & possit apte denotari & demonstrari per pronomen *Hoc*, in forma positum; vbi

Aduerte, ut materia censetur apta consecrationi ex parte sensibilitatis non requiri, ut visu percipiat, vel etiam possit percipi à ministro consecrante, sed sufficere si possit percipi tactu vel gustu, quia per illos sensus potest haberi sufficiens certitudo de præsentia materia, quæ ad consecrationem requiritur, & quod ita sentiri potest, potest demonstrari per pronomen *Hoc*, unde particula panis, quæ propter suam parvitatem non potest visu percipi, potest valide consecrari, si tactu vel gustu percipi possit.

Dixi *si sit sensibilis*, quia si substantia panis remaneat sub particula omnino insensibili, ea non poterit consecrari. cum enim Sacramentum sit signum sensibile, saltem dum ipsum conficitur, requirit aliquid sensibile, quod in casu suppositionis nullum est. idem ex forma potest confirmari, nam pronomen, *Hoc*, in forma designat aliquid sensu perceptibile, & proinde si nihil tale sit præsens consecranti, is non poterit dicere, *Hoc*.

Petes an si quis substantiam panis in puncto collocatam, supernaturaliter videret, posset eam consecrare? Suarez disp. 43. sect. 8. in fine videtur tenere utramque partem probabilem. probabilius tamen videtur eo casu invalidam futuram consecrationem, quia talis materia per se est insensibilis, ergo per se non est apta consecrationi.

Cõseq. prob. materia apta videtur debere esse talis respectu cõmunitatis ministrorum. cum enim non sint instituta variæ materiae pro varijs, sed in genere per ordinem ad sacerdotes, ea materia non videtur censenda apta, quæ non sit talis respectu cõmunitatis sacerdotum, per se loquendo, non est autem talis materia, de qua loquimur.

Confir. Sacramenta instituta pro cõmunitate sensibili videntur exigere materiam secundum eam conditionem, quam habet respectu cõmunitatis, & proinde Christus videtur instituisse materiam ex qua huius Sacramenti seu consecrabilem, eam quæ cõmuni vfu sit sensibilis, non verò quæ extraordinarie sit talis per respectu ad unum; quod enim ita se habet præter naturalem rerum exigentiam, planè per accidens se habet, quod non debet mutare rationem institutionis.

Dices, hæc & nunc sentitur, & potest designari per pronomen *Hoc*, ergo nihil obstat, quod minus possit valide consecrari.

Resp. neg. secundam partem antecedentis, intelligendo pronomen, prout in formâ debet, intelligi.

Conclusio. Quilibet pars ab alijs separata et consecrata est, si sit sensibilis.

Sufficit ita, aliquo sensu percipi.

Pronomen. Hoc, designat aliquid sensu perceptibile.

Videntur forte inuoluntate consecrari substantiam panis in puncto posita, licet supernaturaliter videretur.

Sacramenta sunt instituta pro cõmunitate sensibili.

telligi: nam, ut patet ex dictis, non designat id, quod quomodocumque est præsens & sentitur, sed quod per se est sensibilis, seu secundum communem conditionem potest sentiri; quod autem collocatur in puncto, etiam si supernaturaliter possit videri, iuxta naturalem tamen rerum exigentiam videri non potest.

Adverte quod cum propter hoc argumentum pars affirmatiua sit aliquo modo probabilis, si contingeret aliquem attestare consecrationem circa materiam ita sibi oblatam, eam reuerenter tractandam, quia fortè sub tali specie corpus Christi latet.

Ex dictis colligo nullo modo posse consecrari materiam sensu externo imperceptibilem, quam aliquis Angelicà relatione cognosceret esse præsentem; quia propter huiusmodi relationem, materia non fit villo modo sensibilis, cum ergo non supponatur aliunde esse sensibilis, non redditur apta consecrationi, neque circa eam potest verificari pronomen *Hoc*, eo sensu quem reddit in forma huius Sacramenti. Porro ex relatione non reddi sensibilem patet, quia etiam si poneremus Angelum id reuelare formando aliquem sonum materiale verbis similem, obiectum quod per huiusmodi sonum declararetur, non idcirco esset sensibilis, neque enim est obiectum auditus, in quod auditus tendat, sed solum percipitur sensu interiori & intellectu, eo modo quo obiectum locutionis percipitur. Adde etiam quod licet obiectum in se esset sensibilis, si tamen nullo sensu percipi posset ab aliquo sacerdote, non posset validè ab eodem consecrari, quia talis non posset modo sensibili demonstrare materiam circa quã versaretur pronuntiando pronomen, *Hoc*, nam qui non potest rem aliquam villo sensu percipere, non potest eã demonstrare tanquã sibi præsentem modo sensibili: quamvis ergo talis materia per se loquendo sit consecrabilis, scilicet ab eo qui potest eam sentire, quia potest illi censeri præsens modo sensibili, ab altero tamen, qui eam nullo externo sensu potest percipere, nequit consecrari propter rationem dictam: quod etiam verum est quamvis alio referente cognosceretur esse præsens, quia nihilominus remanet huic insensibilis.

Advertendum igitur licet non sufficiat ab aliquo percipi sensu, si ex modo, quo existit, non est sensibilis ut supra diximus, non tamen sufficere, ut sit secundum se sensibilis, nisi ab eo, à quo est consecranda, possit aliquo exteriori sensu percipi, quia alioquin in non poterit demonstrare per pronomen *Hoc*, ad cuius pronominis demonstratiui veritatem requiritur, ut & materia ex sua conditione secundum quam existit, possit sensu percipi, & ut possit percipi ab eo qui demonstrat.

DUBIUM II.

Utrum ad valorem consecrationis requiratur præsentia materia?

EX dictis, & ex ipsa Sacramenti institutione facile patet ad consecrationem requiri physicam existentiam materiæ, quæ dicitur consecrari, quia quod non est, non potest sortiri rationem sensibilis, nec potest demonstrari per pronomen, *Hoc*, unde quod existit, sed esse desijt antequam

forma pronuntiaretur, consecrari non potest: similiter nec id quod paulò post formati prolatam existet, immò ea existentia est necessaria, quæ existat materia etiam ab initio prolationis formæ, & perseveret usque ad finem, unde si formã inchoatã proponerentur formulæ consecrandæ, eæ minime consecrarentur per huiusmodi formam; nec similiter consecrarentur eæ, quæ delinerent esse ante formam completam. his suppositis

Queritur, num præsentia materiæ sit necessaria ad valorem consecrationis? ad quod

Respondeo affirmatiuè, ita communissimè Doctores, quamvis enim possit esse diuersitas sententiarum in modo explicandi præsentiam, nullus tamen potest negare aliquem modum præsentia requiri, cum id postulet vis pronominis, *Hoc*, nisi enim materia sit præsens modo sensibili, non potest dici *Hoc est corpus meum*; cum iudicio communi pronomen *Hoc*, denotet rem præsentem, & quæ tanquam præsens demonstratur; ex quo sequitur, id, quod nullo modo potest dici præsens consecranti, non posse validè consecrari, neque id quod ab initio formæ non fuit præsens. unde si inchoatã etiam primã voce, *Hoc*, super principali hostia, adferantur & apponantur quedam aliæ, eæ non consecrantur, quantumvis sacerdos intendat illas consecrare; & grauissimè peccat, si id intendat, & si tanquam consecratas distribuat.

Ratio est quod respectu illarum pronomen *Hoc*, non possit verificari. Idem dicendum, si antequam forma finiatur, subducantur hostiæ, ita ut nullo sensu à consecrante percipi possint; quia veritas formæ exigat, ut materia sit præsens quamdiu forma perdurat: nam particula, *Hoc*, in forma dicit ordinem ad verba sequentia. Et hæc sunt diligenter notanda, nam præter peccatum quod, per se loquendo, committitur, consecratio redditur nulla, his præmissis

Dubitari potest, num certus & determinatus modus præsentia sit necessarius? Aliqui existimant requiri, ut materia manibus teneatur. Alij, ut saltem tangi possit. Alij censent requiri, ut verba formæ possint materiam contingere saltem secundum speciem sui sensibilis, id est ut sonus verborum vel secundum esse reale, vel saltem secundum esse intentionale per speciem contingat materiam. quod docet Vignierus lib. Institutionum Theologicarum cap. 16. §. 3.

Sed hæc & similia omni carent probabilitate, cum vsu quotidiano constet consecrari hostias in pyxide positas, quas non tangit sacerdos, & ad quas saltem ultimas sonus etiam secundum sui speciem nullo modo videtur peruenire. quis enim dicat sonum vel eius speciem peruenire ad hostiam quæ est in fundo pyxidis, dum quingentæ, sexcentæ, vel etiam plures simul consecrantur? certè hæc voluntariè videntur fingi, cum forma submissè soleat proferri.

Adde quod necessitas contactus soni respectu materiæ, neque ex Ecclesiæ sensu habeatur, neque ex naturæ formæ, neque ex conditione præsentia deducatur; ergo voluntariè fingitur. Similiter videtur voluntariè fingi, quod requiratur, ut materia saltem à consecrante tangi possit, cum neque ad rationem præsentia id requiratur, neque ut propriè possit verificari demonstratiuum, *Hoc*: nam propriè etiam dicuntur nobis præsentia & per pronomen *Hoc* à nobis demonstrari, quæ nonnihil sunt diffita, & quæ tangere non possumus: his ergo reiectis

Materia debet existere ab initio prolationis formæ & permanere ad finem.

Conclusio affirmans.

Hoc, denotat rem præsentem.

Corollarium.

Hoc, dicit ordinem ad verba sequentia.

8.

Dubium incidens. Varij varios modos præsentia requirunt.

Vignier.

9. Sed refutatur ut improbabiles.

In praxi se-
quenda Ec-
clesiæ con-
suetudo.

10.

Resolutio
Auctoris.
Sufficere si
res sit præ-
sens morali
æstimatio-
ne.

Coroll.

Visa domo
non censetur
sufficere
demon-
strari panis
in ea con-
tentus &c.

Maior.

Notandum in praxi ad scrupulos vitandos se-
quendam esse Ecclesiæ consuetudinem, & com-
munem procedendi modum, & conandum, ut ma-
teria sine controuersia censetur præsens modo com-
muni in ordine ad perficiendam consecrationem: nam
qui consecraret materiam, de cuius sufficienti præ-
sentia modo merito dubitaretur, grauissimum
committeret sacrilegium, exponens se periculo
nullitatis Sacramenti. hoc prænotato

Respondeo, speculatiue loquendo, sufficere ut
res censetur præsens communi & morali æsti-
matione, secundum quam etiam dicitur tanquam
præsens posse sentiri.

Probaur, nulla commodior regula potest as-
signari ad discernendum, quâ ratione debeat esse
præsens; item talis præsentia abunde sufficit, ut ve-
rificetur pronomen, *Hoc*, prout exigitur in formâ.
3. Sacramenta instituta pro communitate sensibi-
li non requirunt alio modo suas condiciones,
quàm eo quo passim in tali communitate, specta-
tâ subiectâ materiâ videntur requiri, & ex cen-
senda sunt sufficere, quæ communi iudicio suffi-
ciunt; ergo in proposito ea præsentia ex parte ma-
teriæ consecrandæ censenda est sufficere, per quam
moralis hominum iudicio materia dicitur præ-
sens, & tanquam præsens demonstrari pronomi-
ne, *Hoc*.

Hinc est quod panis in canistro, cista positus,
item vinum in dolio, calice cooperto, possit vali-
dè consecrari; quia quod ita nobis est præsens,
moralis & communi iudicio censetur præsens, &
demonstrato continente censetur illud demon-
strare.

Confir. non solet reuocari in dubium conse-
cratio formularum contentarum in pyxide clausâ,
item calicis non discooperti; hinc valida est
consecratio, quâ quis consecrat multa dolia vini,
item cumulum panum præsentem.

Contrario verò, si quis visâ ciuitate, vel do-
mo vellet consecrare panem in eâ contentum, ni-
hil efficere; quia ostensâ ciuitate, vel domo, mor-
ali & communi iudicio non censetur sufficienter
demonstrari panis in ea contentus, nec censetur
præsens, eo quod domus censetur præsens. Idem
dicendum de pane post parietem posito, seu inter
quem & consecrantem interiacet paries. quod
enim ita se habet, communi iudicio non censetur
præsens, cum paries interiectus non habeat ratio-
nem continentis. vnde etiam si quis diuinitus ele-
uaretur ad videndum panem ita positum, non
propterea posset illum validè consecrare, eo quod
nihilominus panis censetur non esse sufficienter
præsens.

Idem dicendum videtur de pane post tergum
posito. nam licet Maior dist. 11. quæst. 2. §. circa
hanc questionem, existimet eo casu futuram validam
consecrationem, communi tamen Theologi
docet contrarium propter rationem allatam, quia
scilicet quod ita respectu nostri se habet, commu-
ni visu & humano modo non censetur nobis præ-
sens. quod etiam verum est, quamuis panis per
speculum videri possit, etiam secundum eum fi-
ctum quem habet à parte rei, quia talis noticia non
efficit ut res morali æstimatione censetur præ-
sens. quod autem in hoc tertio puncto dicimus,
intelligitur nisi à nobis tangi possit, quemadmo-
dum enim non solum ratione visus res dici potest
sensibilis, sed etiam ratione tactus, ita non solum
per comparisonem ad visum, sed etiam per com-
parationem ad tactum potest dici præsens, &

demonstrabilis per pronomen, *Hoc*, id sentit Vas-
quez disp. 171. cap. 4. num. 22. Henriquez lib. 8.
qui est primus de Eucharistia cap. 14. num. 1.

Petes 1. an sufficiat rem posse visu percipi, licet
in maxima distantia?

Resp. communi sententiâ non sufficere; quia
quod ita distat, quamuis possit videri, non potest
censeri præsens morali hominum æstimatione, &
præsertim in ordine ad operationem: nec potest
proprie demonstrari per pronomen *Hoc*, sine addi-
to, sed per pronomen, *istud illud*. nam solemus di-
cere, istud est cælum, non ita, hoc est cælum.
quod si interdum ita loquamur, non est ita pro-
pria locutio, nec per talem loquendi formam de-
monstramus rem tanquam moraliter præsentem,
vnde si quis tentaret consecrare panem remotis-
simum quem oculis cerneret, nihil efficere.

Quanta autem distantia impediatur, quò minus
res quæ etiam visu potest percipi possit consecra-
ri, non potest facile definiri, ut contingit in mora-
libus, in quibus non ita facile assignatur terminus
indivisibilis, ad quem certa conditio pertingat, &
non ultra. quamuis ergo possimus scire aliquam
propinquitatē quæ certò sufficiat, & aliquam di-
stantiam quæ sentiat certò obitare præsentia
panis &c. ad valorem consecrationis requisitæ,
non possumus tamen designare distantiam quæ
præcisè sufficiat, & nulla ulterior.

Notandum non tantum distantiam rei posse
obstare, quò minus res, quæ visu percipitur, possit
consecrari, sed eandem posse obitare quò minus
possint consecrari partes alicuius rei quæ nobis
dicitur præsens. quia communi hominum iudicio
mare v. g. non dicitur mihi præsens secundum
omnes suas partes, quamuis partes inter se sint
continuae, & aliquæ ex illis possint dici præsentem.
vnde certum est si totum mare conuerteretur in
vinum, non posse vnâ consecratione totum con-
secrari; quia morali iudicio totum nequit dici si-
mul esse præsens, ex eo quod aliquis dicatur esse
iuxta mare, vel habere mare in suâ præsentia.

Quia verò in re maximè cuiusdam quantita-
tis difficile est assignare præcisè partem, quæ di-
catur præsens, etiam in se nullo sensu perci-
piatur, vel possit percipi, qui rem maximam con-
secrare vellet grauissimum committeret sacrile-
gium, non solum, quia contra omnem usum &
consuetudinem Ecclesiæ, tentaret tantam molem
consecrare, sed etiam quia maximo periculo sa-
crilegij exponeretur, cum esset difficillimum iu-
dicare, quæ partes essent consecrata, quæ verò
non. & iuxta hæc intelligi debet, quod circa arti-
culum dictum est, quantumvis magnam quanti-
tatem, per se loquendo, posse consecrari, si videli-
cet non obstante quantitate possit moraliter dici
præsens, & quatenus potest censeri præsens. nam
si maxima quantitas possit obitare, quò minus res
secundum vltiores suas partes possit dici præ-
sens consecranti, eadem obstat per accidens quò
minus res tota possit vnâ consecratione validè
consecrari.

Petes 2. vtrum requiratur materia reipræ ali-
quo sensu externo percipi à consecrante, ut validè
consecratur?

Resp. non videri: quia si consecrans possit illam
percipere, atque adeò hinc & nunc ea possit illi dici
præsens, & ab eo perceptibilis, verificari potest
demonstratiuum, *Hoc*. Confir. cæcus, qui ex rela-
tione alterius nouit panem sibi esse præsentem,
eumque potest facile tangere, validè consecrare,
etiam si

etiamsi non tangat, vel alio sensu actu percipiat; & noui sacerdotes possunt consecrare cum Episcopo panem quem nullo sensu percipiunt.

Aduerte tamen eum, qui sine dispensatione Pontificia consecraret, grauiter peccaturum, similiter eum qui consecraret materiam, quam ex sola alterius relatione nouit esse praesentem, videtur potest Sotus dist. 9. quaest. 1. art. 2. §. ad 3.

D V B I V M III.

Utrum materia consecranda debeat determinari per intentionem ministri?

Cum certa determinationem ex rei natura non habeat, ut ex dictis facile colligi potest, petitur num saltem per ministri intentionem determinari debeat? ad quod

Respondeo affirmatiue: est communis Doctorum: ratio est, quod quemadmodum agens naturale requirit determinatam materiam, circa quam operetur, ut effectum in ea producat: ita agens morale, quando versatur circa aliquam materiam, requirit determinatam, quae determinatio cum non sit à natura, debet esse per intentionem agentis. unde in praesenti minister per suam intentionem debet determinare, quid velit consecrare, & si versetur circa materiam consecrabilem nihil determinans saltem confusa determinatione, nihil agat. quemadmodum in alijs Sacramentis minister, qui ex multis vellet vnum baptizare, absolvere &c. nihil faceret, nisi eum determinaret.

Confir. minister in consecratione huius Sacramenti suo modo ita versatur circa materiam, sicut in alijs versatur circa subiectum; in alijs autem requiritur, ut minister per intentionem versetur circa determinatum subiectum, ergo in praesenti requiritur ut per intentionem determinetur materia consecrabilis.

Confirmari potest 2. ex significatione formae. nam pronomine demonstratiuum, *Hoc*, in forma designat aliquid sensibile certum, non est autem sufficienter certum nisi determinetur per intentionem consecrantis.

Ex quibus patet eum, qui proposito cumulo hostiarum ita se haberet: volo vnam ex istis consecrare, vel volo omnes, nã excepta &c. nullam in particulari determinando, nihil effecturum. nam qui ita se habet, non determinat sufficienter materiam, circa quam operetur, neque posita tali intentione materia consecrabilis redditur sensibilis consecranti, cum nihil certum possit designare, circa quod censetur versari, & quod possit demonstrari per pronomine, *Hoc*, unde quantumque materia in se sit sensibilis, & minister velit consecrare, consecratio est nulla. Idem iudicium est de eo qui dimidiam partem panis vellet consecrare, nullam designando.

Aduerte tamen, si minister, qui ante se habet duas hostias, putet vnicam habere, & intendat vnam consecrare nihil determinando, practice loquendo, validam futuram consecrationem, & moraliter loquendo vtramque futuram consecratam. ratio est, quod sacerdos communiter intendat consecrare quod habet in manibus, vel ante se in altari positum consecrabile, quae intentio est sufficientis ad valorem consecrationis; hæc autem non eliditur per particularem, quã vult vnam consecrare, quia particularis intentio procedens ex erro-

re & persuasione, quod tantum sit vna, est inefficax, cum qua consistit generalis absoluta & efficax, volo consecrare quicquid habeo consecrabile, & quod tanquam consecrabile mihi proposui, vel à ministro est propositum. quod est diligenter notandum ad vitandos scrupulos, ne videlicet sacerdos sub tempus communionis aduertens plures fuisse hostias, velit rursus consecrare propter sacrificij perfectionem, putans huiusmodi hostias non esse consecratas: item ne minores hostias sibi datas à ministro proponat alteri consecrandas, tanquam à se non consecratas.

Idem videtur iudicandum de partibus vini, quæ non coniunguntur alijs tempore consecrationis, ita Suarez disp. 43. sect. 6. s. sed obijciat. quamuis enim aliqui existiment has non esse consecratas, nisi intentio specialiter ad eas feratur, verisimilius tamen est etiam iuxta communem procedendi rationem consecrari, cum sacerdos communiter intendat saltem in confuso consecrare totum quod est in calice, quæ intentio sufficienter respicit guttulas alijs non coherentes, quando nulla respectu earum intentio repugnans apponitur. & ita tenent varij. Dixi, in calice, quia de ijs quæ extra cuppam calicis inveniuntur, aliter est iudicandum, cum ad has intentio sacerdotis non solet se extendere; vt Maior quaest. 1. citata responsione ad secundam dubitationem, Siluester verbo *Eucharistia*, 2. quaest. 6. & alij.

Peres 1. an si proposito cumulo, in quo ordine disponantur hostiæ, velit aliquis primam consecrare, vel vltimam, vel mediam, consecratio sit futura valida?

Resp. affirmatiue, quia obiectum est sufficienter sensibile etiam respectu consecrantis, & sufficienter praesens, atque per eius intentionem sufficienter determinatum, & ita respectu hostiarum hoc modo se habentium potest dici, *Hoc*, iuxta sensum verborum consecrationis. Idem dicendum si quis ex tali cumulo velit omnes pares consecrare, v. g. secundam, quartam, sextam &c. vel omnes impares primam, tertiam, quintam &c. Suarez supra §. secundo colligit; quamuis aliqui id negent. nam ratio allata etiam in his locum habet, quod scilicet tali modo per intentionem determinata sint sufficienter sensibiles consecranti, eique praesentes, & per pronomine, *Hoc*, demonstrabiles.

Idem quoque videtur dicendum in eo casu quo aliquis habens panem, velit dimidiam eius partem quæ est à dextris consecrare, validam scilicet futuram consecrationem, quia & obiectum est sensibile & sufficienter praesens consecranti, & per eius intentionem sufficienter determinatum, ita vt per pronomine, *Hoc*, possit demonstrari.

Confir. communi hominum vltu designatà dimidia parte panis pedalis dici potest, hoc est dimidij pedis, est æquale isti parti, hoc est panis; ergo in ordi ad consecrationem sufficienter est determinatum. & ita sentit Maior dist. 11. quaest. 2. §. secundo arguitur, & alij.

Aliqui contrarium sentientes dicunt Christum non ita fecisse.

Resp. id non refertur, pro quo

Notandum in facto Christi quædam inueniri quæ ad substantiam mysterij pertinent, vt quod panem, & vinum consecravit, hæc ita sunt necessaria, vt si quis ab exemplo Christi hac in parte recedat, nihil sit effecturus, idque constat ex Ecclesiae determinatione. alia spectant ad quædam

Particularis intentio procedens ex errore est inefficax.

Suarez.

Sacerdos communiter intendit consecrare totum quod est in calice. Insectio sacerdotis non solet se extendere ad guttas extra cuppam.

Maior.

Siluester.

Quaestio 1. Volens consecrare primam, vltimam alicuius cumuli, valide consecrat.

15.

Suarez.

Maior.

In facto Christi quædam ad substantiam pertinent, quædam non.

circumstantias quæ sunt extra mysterij substantiã in quibus si quis præter Christi exemplum faciat, siue peccet siue non, non redditur inualida consecratio. v. g. non propterea inualidatur consecratio quod ea fiat in pane fermentato, quod fiat mane, quod fiat à sacerdote stante, fiat in aliã specie vini, quàm Christus vsurparit &c. cum ergo ex sensu Ecclesiæ non habeamus Christum ita consecrasse panem, vt voluerit totius consecrationem requiri ad substantiam consecrationis, & de cetero determinata per intentionem parte dimidia reperiamus ea omnia, quæ ex parte materiæ sunt necessaria ad consecrationem, vt illa subiaceat intentioni consecrantis, non videtur dubitandum quin consecratio ita facta valeat. qui tamen hoc modo & alijs precedentibus se gereret, grauiter peccaret, tum quia faceret contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ videtur grauiter obligare; tum quia videtur grauis irreuerentia modis tam peregrinis intentionem restringere & modificare; tum quia in vltimo casu pars consecrata non potest in fractione perficere separari à non consecrata.

16.

Quæstio 2.

Petes 2. an si quis velit consecrare solum omnes partes proportionales, sit futura valida consecratio? Quæstio non procedit in casu quo aliquis vult totum consecrare, quo casu omnes & singulas eius partes consecrat per modum vnius, qui modus est vsitatus, sed procedit in casu extraordinario, quo sacerdos velit consecrare huiusmodi partes per modum plurium.

Maior.

Nō videtur valida consecratio omniū partium proportionaliū.

17.

Quæst. 3. Nec carum partium, quæ mansuræ sunt in continuo fractionis speciebus.

Affirmat Maior dist. 11. quæst. 2. §. secundum ar. 1. sed ex dictis patet consecrationem futuram in ualidam, quia omnes partes proportionales, vt distinctæ, latent humanam notitiam, nec possunt omnes demonstrari pronomine, Hoc. omitto absurda quæ contra sententiam Maioris à quibusdam afferuntur.

Petes 3. an sit futura valida consecratio, si quis intendat consecrare solum eas partes, quæ fractionis speciebus mansuræ sunt in continuo, non verò eas, quæ excident? Aliqui senserunt futuram validam; sed omnino dicendum illum modum non tantum continere graue sacrilegium, sed etiam irritare consecrationem; quia vel intelligitur consecratio futura perfecta specierum fractione, vel antequam frangatur, finita scilicet prolatione verborum. Prius dici non posse, patet ex generali doctrina Sacramentorum, quod scilicet Sacramentum perfici non possit eo tempore, quo forma perfecte desijt esse, quod in presenti potest confirmari, forma designat materiam sensibilem quando ipsa profertur. Posterius etiam dici nequit, cum enim non possit humano & sensibili modo cognosci, quænam partes sint mansuræ in continuo, quænam verò excidant, partes consecrabiles non possunt dici sensibili modo præsentibus consecranti in ordine ad cognitionem, neque consecrans potest illas per pronomine, Hoc, demonstrare.

Notitia

Pei nō facit partes istas sensibili modo cognoscere, & proinde non redduntur ab eo demonstrabiles per pronomine, Hoc.

Corollar.

Vnde etiam irrita erit consecratio, si quis intendat consecrare partes quas Deus nouit mansuras, quia consecrans non potest ita suam inten-

tionem referre ad Dei notitiam vel voluntatem vt fiat consecratio, si non obstante illa notitia Dei, materia remaneat consecranti occulta, quemadmodum non valeret consecratio, si quis ex aliquo cumulo intenderet eas hostias consecrare quas alius vult consecrari, si voluntas alterius ante consecrationem ita eum lateat, vt hostia, quas alius vult consecrari, consecranti remaneant incognita notitiā sensibili, requiritur enim hoc casu, vt consecrans ante consecrationem norit alterius voluntatem, in quam suam dirigit intentionem, vt ex illā notā materia consecrabilis dici possit ei sensibilis per comparisonem ad notitiam sensitivam.

18.

Petes 4. an formulæ sint consecratæ quando sacerdos simul cum materia principali habet plures præsentibus, quas quidem antea voluerit consecrare, sed tamen in ipso consecrationis actu de his non cogitat?

Quæstio 4.

Casus est quotidianus, in quo videri possit huiusmodi formulas non esse consecratas, cum ad valorem consecrationis requiratur saltem virtualis intentio consecrandi, quæ respectu huiusmodi formularum non potest dici adesse.

Probat, vt quis in presenti negotio censetur habere virtuale intentionem consecrandi formulam, debet versari in actione exteriori deriuata ex actuali intentione respectu talis obiecti, sed actio exterior Sacri non procedit ex intentione actuali consecrandi secundarias formulas, sed ex intentione consecrandi principalem, cum eis sepositis poneretur actio exterior Sacri.

Resp. huiusmodi formulas in casu proposito futuras consecratas. tenent Silu. verbo Eucharistia, secundo, quæst. 6. Maior quæst. citata responsione ad quintam dubitationem. Nau. cap. 25. num. 91. Suarez disp. citata sect. 6. §. sed obijciat. Henriquez lib. 1. de Eucharistia cap. 14. num. 5. Sa verbo Missæ num. 29. quæ sententia in praxi est recepta & secuta. nam sacerdotes etiam docti & timorati, qui antea voluerant huiusmodi formulas consecrare quas cum principali obtulerunt in oblatione verbali, si ex naturali inaduerentia tempore consecrationis nihil de ijs cogitent, sine vilo scrupulo distribuunt communicaturis. Ratio est quod respectu illarum inueniatur virtualis intentio consecrandi. nam quamuis actio exterior procedat principaliter ex intentione principalem hostiam consecrandi pro Missæ sacrificio, tamen minus principaliter in his circumstantijs etiam procedit ex intentione consecrandi adiunctas formulas, ex quibus patet responsio ad obiectum contrarium.

Sed difficultas est de sequenti casu, contingit aliquando sacerdoti existentem in altari afferri à ministro formulas consecrandas, & poni quidem super altare, sed extra corporale, ibique relinquenda sacerdote id aduertente difficultas, inquam, est, num eo casu sint consecratæ? non videntur consecratæ, quia sacerdos non videtur habere intentionem consecrandi eas extra corporale positas, cum id absque peccato facere non possit, non est autem presumendum velle peccare.

Resp. moraliter loquendo censendas consecratas: sacerdos enim, qui inter celebrandum aduertit reponi formulam vnam, vel plures, vt eas simul cum principali consecret, habet voluntatem consecrandi, decernens tamen prius eas decenter collocare super corporale, ita vt respectu illarum formularum non tantum habeat actum, qui explicatur.

Formule sunt consecratæ, licet quis in altari collocaret eas, cum non maneat actus consecrandi.

19.

Videntur etiam consecratæ, si sacerdos ad ministrum adfertur, & ponitur extra corporale.

tur per: volam consecrare, & sit solum voluntas volendi, sed habet eum qui explicatur per: volo, & est presens voluntas consecrationis future, ex qua voluntate etiam in futurum procedit in Sacro, nec eliditur ea voluntas ex eo quod ex naturali inaduer- tentia non reposuerit super corporale huiusmodi formulas ante consecrationem; vnde communiter excusatur à peccato, eo quod inculpate omittat formulas ante consecrationem super corporale re- ponere, & verè consecrat, quia non obstante natu- rali inaduerentia eius quod facere debuerat, ma- net virtualis intentio has formulas consecrandi.

ARTICVLVS III.

*Virum requiratur ad materiam huius Sa-
cramenti, quod sit panis triticeus?*

POSTQVAM D. Th. ostendit panem esse hu-
ius Sacramenti materiam, aggreditur expli-
care naturam & qualitatem panis qui ad valorem
consecrationis est necessarius.

Conclusio autem est affirmatiua.

Notandum 1. esse extra controuersiam apud
Doctores panem cōfectum ex leguminibus, vt fabis,
pis &c. non esse materiam aptam consecrationi,
similiter cōfectum ex fructibus arborum vt casta-
neis, amygdalis &c. item ex radicibus herbarum.

Notandum 2. Gabrielem lect. 35. in canone missæ,
lit. G. existimare panem cōfectum ex quouis genere
frumenti vt ex hordeo, avena &c. esse sufficientem
materiam consecrationis. frumentum verò vsu Scri-
ptorum comprehendit omne granum, seu semen
quod habet culmum & aristas: in quam sententiam
videri potest propendere Alanus lib. 1. de Eucharis-
tia cap. 11.

Probari autè potest 1. panis ex quocumque fru-
mento cōfectus est eiusdem speciei. 2. nisi dicatur
materiam ex qua hoc Sacramentum confici potest,
esse ipsum genus frumenti, materia erit incertissi-
ma, cum species quæ requiritur, possit agere deter-
minari. 3. Christus videtur assumpsisse in materiâ,
ex qua hoc Sacramentum confici debet, panem, qui
apud omnes possit facile reperiri, qualis est panis,
qui ex quouis frumenti specie potest confici.

Verum sententia S. Th. est, communis aliorum
Doctorum, quæ etiam traditur in Concil. Flor. de-
creto de Sacramentis, vbi dicitur: *Tertium est Eucha-*
ristia Sacramentum, cuius materia panis triticeus. ex quo
constat ita requiri triticeum, vt si sit cōfectus ex
alijs granis, cōsecratio sit futura inualida. quamuis
enim Alanus supra dubitet num Concilium velit
tradere materiam necessariam, necessitate Sacra-
menti, an solum necessariam necessitate præcepti,
non potest tamen merito dubitari, cum Concilium
eodem modo loquatur de panis triticeo pro conse-
cratore corporis Christi, quo loquitur de vino vi-
tis, quod est materia consecrationis calicis, quod
constat esse necessarium necessitate Sacramenti.
accedit quod Concilium tradat materias Sacramen-
torum per modum Ritualis, explicans eas, sine qui-
bus Sacramentum confici nequeat, nisi ex adiun-
cto aliud colligatur, quod in presenti non accidit.
atque ita post Flor. communiter tradit Doctores.

Congruentia est quod solus panis triticeus sit
visualis communiter; nam alterius solum est vsus
propter defectum tritici. 2. quod panis triticeus sit
aptissimus ad hominem roborandum; ergo aptè
assumptus est ad designandum robur, quod per Eu-
charistia Sacramentum confertur animæ, accedit

quod plerisque Scripturæ locis, quibus hoc Sacra-
mentum fuit adumbratum, sub nomine frumenti,
per frumentum passim intelligatur triticeum. Psal.
80. *cibauit illos ex adipe frumenti.* Zachariæ 9. *quid enim*
bonum eius; & quod pulchrum eius, nisi frumentum ele-
ctorum? in quem locum Hieronymus ait: *frumentum*
electorum nos intelligimus Dominum Salvatorem, qui lo-
quitur in Evangelio, nisi granum frumenti cadens in ter-
ram mortuum fuerit &c. de hoc tritico efficitur ille panis,
qui de cælo descendit.

Ex quo sequitur contra Gabrielem hoc Sacra-
mentum non posse cōfici ex pane hordeaceo, quam-
uis de eo dubitet Alanus supra, item ex pane cōn-
fecto ex avena, milio, oryza, & similibus, quæ constat
non esse triticeum. idem dicendum de alijs granis
quæ in varijs regionibus nascuntur, & passim à peri-
tis eâ in re, certò dicuntur non esse triticeum, quod
periti ex varijs possunt iudicare.

Ad argumenta pro sententia Gabrielis allata,
respondetur ad primū satis constare ex varijs effe-
ctibus inter se valde dissimilibus, hordeum & tri-
ticeum specie differre. adde, quidquid sit de quæ-
stione physica, panem ex hordeo, avenâ, &c. cōfec-
tum, non esse vsualem & hominibus accommo-
datum, sed assumi in defectum triticeus; ex vsu au-
tem Ecclesiæ etiam ante Flor. videtur constare
Christum voluisse assumi pro materiâ cōsecratio-
nis panem cōmuni hominum vsui accommodatum.

Ad secundum Resp. materiâ huius Sacramenti
non futuram adeò incertam, licet non quæuis spe-
cies frumenti possit assumi, quia inter homines sa-
tis potest constare de quibusdam granis quod ve-
ram & indubitam rationem tritici participet, &
proinde quod indubitè cōsecratio in illis perfici
possit. si de quibusdam controuertatur, non obstat
certitudini materiæ in ordine ad praxim, quia de
alijs granis habetur certitudo, eaq; facile possunt
haberi, vt conficiatur panis, materia ex qua huius
Sacramenti.

Ad tertium Resp. quamuis triticeum in quibus-
dam partibus non crescat, facile tamen potest as-
portari, neque hactenus in vllâ regione defuit suf-
ficiens ad consecrationem. vnde ex eo capite non
est quod Christus videatur non restrinxisse mate-
riam consecrationis ad triticeum propriè dictum.

Dices varia Concilia tradentia materiâ ex qua
huius Sacramenti solum assignant panem, vel panem
ex frumento, videri potest cap. *Firmiter* de summa
Trinitate, cap. *cum Marthe*, de celebratione missæ
rum, Concil. Carthaginense 3. cap. 24. & alia.

Resp. 1. satis constare ex Flor. non quoduis fru-
menti genus sufficere, sed requiri triticeum.

Resp. 2. Concilia & Pontifices intelligi de eo
genere frumenti, quod passim in Ecclesia vsurpatur
pro materiâ panis, ex quo hoc Sacramentum solet
confici. noluerunt enim per frumentum intelligen-
re id cuius in Ecclesia nullus vnquam fuerat vsus,
& quod communiter negatur esse conuenientem
materiam huius Sacramenti.

Ex dictis sequitur omnè panem verè triticeum
esse materiam aptam consecrationi, siue triticeum
sit species infima, siue subalterna.

De quibusdam tamen inter Doctores aliqua
est controuersia, vnde

Petitur 1. an panis siligineus sit materia apta
consecrationis.

Notandum siliginem duobus modis accipis: vno,
prout significat selectum genus tritici, altero pro-
ut nunc communiter sumitur, estque mindus præ-
stans, quam triticeum, vt communiter sumitur.

Psal. 80.
Zach. 9.

Corollaria.

Satisfit at-
gumentis
pro sententiâ
Gabrielis
allatis.

Obiectio
ex Conci-
lijs.
Cap. *Firmi-
ter*.
Cap. *Cum
Marthe*.
Resp.

Corollaria.

22.

Siligo du-
piter ac-
cipitur.